



CODICIS IURIS CANONICI FONTES


CURA
EM̄I PETRI CARD. GASPARRI
EDITI

VOLUMEN IV

CURIA ROMANA

S. C. S. OFF. - S. C. EP. ET REG.

N. 714-2055



ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXVI

subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commode queant. Deque huiusmodi lectione, et commonitione publico documento ab iisdem Superioribus Conventus, vel domus subscripto, unaque ab aliis duobus Religiosis eiusdem Domus, vel Conventus statim certiolem facere Congregationem Sanctissimae Inquisitionis in Urbe, vel locorum Inquisitores, ubi sunt. Statuitque praeterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in acie Campi Florae affixum, omnes ubique existentes arctare et afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intumatum.

[Bull. Rom., tom. 6, V, p. 80-82].

733.

S. C. S. Off., 28 febr. 1663.

An in locis ubi non adest ecclesia parochialis neque fons baptismalis, conferri possit Baptisma cum omnibus solemnitatibus et caeremoniis Ecclesiae consuetis.

R. Posse, imo teneri uti illis caeremoniis quibus possint uti.

[Collectanea S. C. de Prop. Fide, vol. I, n. 151].

734.

S. C. S. Off., decr. 24 sept. 1665.

In Congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII, ac Eminentissimis, et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

§ I. Sanctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui moerore, complures opiniones Christianae Disciplinae relaxativas, et Animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excre-scere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianae vitae corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cuius verba in aeternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastoralis sollicitudine in rectam semitam revocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, et deinde Eminentissimis, et Reve-

rendissimis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit. Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, et mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suae singillatim exposuerunt.

Propositio prima. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1626, 18 iulii in Consistorio Sacrae Congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, et tolerata est.

4. Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab ex communicatione propter eam incurra.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit Poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere; applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.¹

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit praecepto annuae Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.

¹ S. C. C., 21 iun. 1625. - Cf. Bull. Rom., tom. 5, V, p. 335-338.

Fontes Vol. IV, p. 17. S.C.S. Officii, Die 24 Sept. 1665

5. Although there seems sufficient proof to you that Peter is a heretic, you will not be able to charge him if you cannot prove it.

6. A Confessor who in the sacramental Confession gives a note to a Penitent to be read later, in which he incites [the Penitent] toward sex, shall not be thought to have solicited in Confession; and therefore ought not be denounced.

7. The way of avoiding the obligation of denouncing solicitation is, if the solicited person confesses with the solicitor, the latter is able to absolve him without the burden of denunciation.

[Collectanea S.C. de Prop. Fide, vol. I, n. 509].